



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorum Concionatorumque Instructioes

Borromeo, Carlo

Coloniae, 1587

VD16 B 6753

De decoro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51263)

Concionator loco, tēpori, personæ se accommodet.

P R I M O totam concionem accommodabit concionator ad ingenium, cōditionemque hominum, apud quos concionaturus est. Nihil enim ineptius, & absurdius dici, fingiue potest, quàm, si in pauperissimo pago, apud rusticos, fame, frigoreque confectos, ita concionatur, vt in opiparas epulas, splendidissimas vestes, auro, argento intextas, quas homines indigentissimi ne somniarunt quidem, perpetuò inuehatur.

Concionaturo igitur hæc erunt cogitanda omnia, non solum scilicet auditori status, sed etiam locus, tempus, res, de qua dicturus est, & personæ suæ auctoritas, & vitæ genus, vt aptè, decorè, conuenièter, & cum dignitate concionetur.

Itaque, quæ inuoluta, vt commonuimus, quæque explicatu difficilia sunt; de ijs apud rudes nullam concionem instituet: nec verò Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syracæque dictionis vim, quando cum ijsdem aget, interpretari studebit.

At cōtrà, si ad eruditissimam quamque explicationem apti sunt, qui audiunt, nullum genus prætermittet disertæ interpretationis, quam ipse rectè norit.

Sed quando non æqualis est omniū conditio, vt diximus, non idem vitæ modus: certè

certè concionis argumentum nõ dissimile erit à statu eorum qui audiunt . Et verò quemadmodum ab audientium conditione discrepare non debet: ita talem etiam esse conuenit, qualem eorum mores requirunt. Mendaces Cretenses, malæ bestiæ, ventres pigri, inquit sanctus Paulus: omnis porrò obiurgatio, vel acerrima, ad eorum emendationem adhibenda fuit. Duri certè obiurgandi sunt, & tractandi durius: at mitius, qui in pestifera viuendi consuetudine non persistunt. Hoc docet idem sanctissimus Pontifex Gregorius ex èplo galli qui, vt media nocte, in arctissimo hominũ somno, rauce quodammodo canit, deinde sub auroram suauius cantũ emittit: ita concionator homines, in peccatorum quasi somno grauissimè dormientes, obiurgationibus acerbis excitet: cum ijs verò, qui in via virtutis tamquam vigilantiores facti sunt, cohortationum suauitate alliciat ad omnem in rectè sancteque agendo progressionem.

Neque præterea concio diuersa erit ab Euangelij, quod eo die à populo auditum est, hiltoria: quæ si subministrat genus concionandi de pœnitentia, non aliud concionator sumet, quod nullo modo conueniat cum illius diei Euãgelica lectione: nisi aliquando à re proposita digrediendi materiam

In corripiendis hominum vitijs quem modũ concionator obseruare debeat.

teriam aliquis locus, aut occasio præbeat

De elocutione concionatoris.

ELOCUTIONIS genus exquisitum ne affectet.

Fucum omnem fugiat.

Imperite multitudinis consuetudinem loquendi ne sequatur: cum in ea sint multa absurda, multaque indigna concionantis grauitate.

Dicendi forma vtatur, cui per artem, atque exercitationem par esse possit.

Verba antiqua, & peregrina fugiat.

Fati, fortunæ, infortunij nomina, aliq; id generis ab Ecclesiæ vsu iam pridè explosa, omnino cauebit.

Epithetorum item nimiū vsu, & poeticum dicendi genus ne confectetur.

Anicularum non adhibeat prouerbia.

Inflata oratione ne vtatur, sed graui.

Exordiatu moderato, & temperato dicendi genere: in quo exordio vitentur similitudines, præsertim poetico more explicatæ.

Vocabulorum frequentem synonymiã omnino caueat: nisi cum vnum altero significantius, aut magis proprium fuerit.

Metaphoras, similitudines, & exempla à rebus maximè notis, & insignibus sumat: nam deijcit maiestatem orationis, qui à rebus

bus